AUTHOR:

FOERSTER, WENDELIN

TITLE:

QUAESTIONUM HORAT-
IANORUM

PLACE:

[BRUNN]

DATE:

[1869]

Master Negative #

91-80135-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Foerster, Wendelin, 1844-1915.
Quaestionum Horatianarum pars prior. [Brünn, Rohrer, 1869]
19 p. 27 cm.

Signed: W. Foerster.
On cover: Programm des Kais. Kön. Staats-gymnasiums in Brünn, für das schuljahr MDCCCLXIX.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/3/91 INITIALS D.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PROGRAMM

DES KAIS. KÖN.

STAATS-GYMNASIUMS

IN

BRÜNN,

FÜR DAS SCHULJAHR

MDCCCLXIX.

Förster W.

BRÜNN.
DRUCK VON RUDOLF M. ROHRER.
VERLAG DES K. K. GYMNASIUMS.

1869

Quaestionum Horatianarum pars prior.

I.

Quae olim Muretus uaticinatus erat de epistula II. 3 „tot eruditi homines in eam scripserunt scribuntque cotidie ut ea breui pauciores aliquando uersus quam interpretes habitura uideatur“[1]) maiore etiam iure nos, tribus abinde peractis seculis edicere possumus. neque mirum, tot tantosque uiros adlectos perductosque fuisse ad enarrandam et inlustrandam epistulam non minus grauem quam difficilem, in qua teste Wolfio duodecim nodi nunc quoque latent. neque enim temporis quo Horatius epistulam hanc scripsit, definitam habemus notitiam et ipsum indicem, quem eidem inscribamus, omni dubio maiorem desideramus. maxime uero dissensere uiri docti in consilio eiusdem epistulae explanando aliique aliam prodidere sententiam. plerique specioso „de arte poetica“ nobis a Quintiliano tradito indice decepti Aristotelis *ποιητικήν* in comparationem uocarunt, ad quam duo praecipua errorum genera sunt reuocanda, quae paulo inferius paucis adtingemus. ex eodem fonte manarunt eorum uirorum doctorum conatus qui quos auctores Horatius secutus sit in exaranda sua epistula sagaciter inquirebant. quaestionem hanc iam antiquitus fuisse motam testis nobis est Porphyrio „in quem librum congessit praecepta Neoptelemi τοῦ Παριανοῦ de arte poetica, non quidem omnia, sed praestantissima.“ quid his uerbis sit faciendum qui quaerant adeant interpretes.

Cum non sit ex proposito nostro, temporis ordinem sequentes singulas uirorum dd. qui in his rebus desudarant, recoquere de consilio huius epistulae sententias, reuocamus quemque de his quaerentem ad copiosam Duentzeri expositionem. ex magna hac caterua illorum saltem meminisse iuuabit qui gregis ueluti principes auctoritate sua impedierant quominus per tantum temporis spatium rectum de consilio huius libri eiusque fontibus iudicium formaretur, cum posteriores semper iurauerint in uerba magistrorum.

Quos commode in duas distribues partes, quibus id commune est quod Aristotelis de poetica opus iis ante oculos uersabatur. hic communis erroris diuersi fons. altera pars Horatium hoc opus imitatum in epistula sua aeque ac Stagiritam nobis reliquisse absolutam de uniuersa re poetica artem contendunt eamque carmen *διδακτικὸν* nuncupant. qui ex horum stant partibus iterum in duas easque diuersas abiere uias. alteri Horatii librum artem poeticam omni ex numero perfectam et absolutam in ea quoque quam nunc habemus forma statuunt mira animi imbecillitate, quorum signiferum Regelsbergerum designamus, eique Arnoldum addimus. alteri optime perspicientes, librum manibus nostris uersatum suae sententiae nequaquam respondere, desiderari immo ordinem quem dicunt systematicum, huic rei mederi non sunt cunctati. hi epistulam nostram mire dilacerarant et in ordinem prorsus nouum, uersuum transpositione remedio utentes, redegerunt, inter quos notandi sunt Dan. Heinsius, nostra aetate uero Peerlcampius et Ottema Bataui.[2])

---

[1]) Ed: 1551. cf. Goethii nostratium celeberrimi sententiam.

[2]) Hic decem annis post eandem adhibuit medelam Sallustio emendando (Cat. 27—31), sed in hac re quadam norma nititur (fingit sibi archetypum certo linearum et paginarum numero definitum, qui a librariis postea, foliis quibusdam ex ordine migrantibus peruerso hoc ordine descriptus confuso ordine ad nos peruenit,) ille uero Batauus, ingenii sui inuenta sequens materiam tractatam solam respicit itaque mire in epistulam eam disturbando et discerpendo grassatur suum recusanti ingerens ordinem. cf. Bernhardy de H. ep. ad Pis. Halae 1847. p. 18.

Sed alterum extitit interpretum genus, cuius gregis dux est Baxterus[1]) qui hunc Horatii librum satyram esse declararunt, donec alii, utramque sententiam miscentes, epistulam nostram uoluerunt esse carmen didactico-satyricum, quam sententiam adhuc Orellius tuetur.

Neque uero defecere uiri docti qui librum nostrum „epistulam" esse optime perspexerant: Lambinus, H. Stephanus aliique inter quos maxime Sanadonius (1728) propterea laudandus est, quod in primis rectius tulerit de epistula nostra iudicium, quod hodie inter omnes iam constat, carmen hoc esse epistulam, qua Horatius sui temporis poetas et poemata maxime respicit et cotis uice fungens critici munus exercet. epistula ad Pisones scripta est, cf. uu. 6. 24. 235. 366. 385 sq.[2]), sunt uero pater et duo filii, quorum natu minor diserte non nominatur. quaerentibus ansam huius epistulae cum nil certum traditum esset, mira cogitationis ubertate Wielandus sibi narratiunculam excogitauit. inde manarunt recentiorum interpretum commenta statuentium, Horatium uoluisse Pisonem iuuenem a carminibus pangendis deterrere. has ineptias refutauit Piechowski, quem in hunc modum loquentem audimus: „sic igitur mire Horatium tanto molimine uersuum uti iussit (Wiel.), ut hebetis ingenii adulescentem nescio quo putido artificio adhibito a poesi deterreret. equidem cum diligentissime quaererem, ne unum quidem uerbum reperire potui, ex quo Pisonem a poesi deterreri certo colligi liceret, quin immo incitatum ad poesin deprehendi." [3]) simili modo nostratium unus, Feldbausch in hanc invehitur sententiam,[4]) quam leuiter tantum tetigissemus, nisi nuper Michaelis,[5]) qui aliis in rebus sagaciter aeque ac caute de epistula nostra disserit, idem protulisset commentum, „sed haec exempla aperte eo spectant ut monstranda difficultate dubioque euentu uersus faciendos dissuadeant". . . . „et mihi quidem non id modo constare uidetur Pisonem maiorem de carmine componendo cogitasse, sed minime dubito, quin fabulam scribere in animo habuerit." hoc deliramentum hoc fulcit argumento inepto: „nam quorsum Horatius ducentis uersibus 89-288 de tragoedia comoediaque Graecorum et Romanorum ageret (!) nisi eius modi consilium adulescenti fuisset?" itaque poeta epistula sua adulescentem Pisonem tantum respicit! sed ne agitur quidem de tragoedia comoediaque uu. 89—288. Scilicet Michaelis uersu 89 incipi Horatii de tragoedia et comoedia expositionem cum multis aliis statuere uidetur.[6]) attamen Horatius haec prorsus non curat, sed u. 89—118 tantum sua de „elocutione" (λέξις) data praecepta u. 45. iam incohata prosequitur et ad finem absoluit, (de qua re cf. Vahlen Oest. Gym. Zeit. 1867 p. 14—16). de elocutione s. λέξει disserens poeta in genere loquitur de facundia poetica. cum uero haec λέξις sit ἔμμετρος poetam sapere necesse est quodnam metrum singulis poeseos generibus tribuatur cum a natura rhythmi ipsius tum a poetarum more ac consuetudine. sed prorsus eodem modo quo omne scriptum poeticum proprium sibi requirat metri genus, ita quoque orationis stilique color diuersus sit oportet in diuersis poeseos generibus: uersibus exponi tragicis res comica non uolt: indignatur item priuatis ac prope socco dignis carminibus narrari cena Thyestae. hic loci totius tenor aperte docet, nequaquam agi hoc loco de tragoedia et comoedia,

1) Ed. 1701. „artem poeticam comico i. e. satyrico stilo conscripsit. satyra haec est in seculi sui poetas, praecipue uero in Romanorum drama."

2) Qui hic alii vulgo laudantur uersus 5. 268. 272. 292. 310. 407. 426. 436. 438 sq. lectorem quemque eodem iure ac Pisones respiciunt.

3) Mosquae 1853 p. 7.

4) Die Episteln des H, Fl. 1863 II. p. 52. Note.

5) De auctoribus, quos H. in A. P. secutus esse uideatur. Kiliae 1857.

6) Michaelis Spengelium in primis sectans una cum eo fallitur. in sua de singularum sententiarum se inuicem excipientium ordine et iunctura expositione ad u. 25 haec notat: „arte qui carent, speciem tantum recti δόξαν non ἐπιστήμην habent eaque decepti totum ponere nesciunt." uerum unus vidit Vahlenius p. 6. „species recti ist nicht subjectiv als Einbildung, Ansicht, δόξα (haec statuerat Spengel. Phil. IX. 573) zu fassen, sondern objectiv von dem täuschenden Schein, der durch die Aehnlichkeit und nahe Verwandschaft des Verkehrten mit dem Richtigen erzeugt wird . . . in ars kann ebenso wenig mit Spengel die „Theorie der Dichtkunst" gefunden werden, sondern sie ist vielmehr zu fassen in dem Sinne von Kunstverstand, vermöge dessen man die Grenzlinien zwischen dem Wahren und Falschen richtig ziehen wird."

ne dicam de tragoedia sola, sed de stilo cuique poeseos generi proprio. tragoedia uero et comoedia nonnisi exempli uice utitur poeta ad demonstrandam hanc stili diuersitatem. — Michaelis uero opinionem suam, Pisonem maiorem „fabulam" scribere in animo habuisse, mutuatus est ab Orellio, qui olim asserere non dubitauerat, Pisonem drama satyricum componere sibi proposuisse. in promptu est cognoscere cur interpres hic ad tale commentum confugerit: mouent enim sat magnas difficultates illi uersus 220—250 qui de Satyris agunt. prorsus ignotum est, qua de causa in hac epistula hoc dramatis Graecorum singulare genus, quod a Romanis prorsus alienum fuisse Bernhardy contendit Munkium sequens, tangatur, immo fuse tractetur. attamen, etsi hanc ineptam hypothesin, quam sator ipse dehinc abiecit respicimus, utique restat haec difficultas. quid sibi uolunt Satyri graeci in epistula quae poesin et poetas Romanorum respicit? „Für einen Augenblick dürfte nur Horaz ep. II. 3. 225—235 bedenklich machen, (num habuerint Romani fabulas satyricas) wenn er vom Satyrorum scriptor spricht und eine Darstellung des Satyrdramas auf der römischen Bühne zu meinen scheint, als ob er für den möglichen Fall einer Nachahmung hätte belehren wollen; auch äussert hierüber Spengel im Phil. XVIII. p. 99 sein Bedenken und glaubt, dass der Dichter schwerlich so reden konnte, wenn nicht Satyrdramen in Rom zur Aufführung kamen. Dennoch beschäftigt ihn nur ein theoretisches Interesse, das der Kunstgeschichte, nicht die Praxis und rein in diesem Sinne berührt er, was die Kritik der Form und Oekonomie für jene dramatische Spielart fordert."[1]) Candide fateor me nullo modo perspicere posse, quo modo haec enucleatio nodum istum soluere possit; si enim fabulae satyricae eodem sensu commemorarentur quo u. 275. sq. genesis atque incrementa rei scenicae apud Graecos adumbrantur, difficultas magna saltem ex parte esset sublata; cum uero soli uu. 220—224.

„Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
mox etiam agrestes satyros nudavit et asper
incolumi grauitate iocum tentavit eo quod
illecebris erat et grata nouitate morandus
spectator functusque sacris et potus et exlex"

ad istum scopum quadrent, sequentibus uero praecepta legesque huic generi propriae, quas obseruare debet Satyrorum scriptor proponantur, denique poeta ipse doceat, se optime seruaturum esse singularum personarum mores, si huic poesi incumberet: necessario mihi statuendum esse videtur, respici hic a poeta genus quoddam fabularum tunc temporis cum in scena actum tum a poetis tentatum.

Quaerentibus quidnam sit istud fabularum genus haud dubito respondere, agi hoc loco de fabulis Romanorum comicis quae solum hac de causa hoc loco tractantur ut demonstretur, elocutionem s. stilum orationis in his quoque carminibus accurate debere respondere personarum in iis agentium moribus conditionibusque. harum personarum proponuntur exempla:

„ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
regali conspectus in auro nuper et astro,
migret in obscuras humili sermone tabernas
aut, dum uitat humum, nubes et inania captet."

Personae ergo, quae nuper, i. e. in tragoedia modo peracta conspectae nunc in dramate satyrico in scenam producuntur, debent seruare snam orationem ex parte quidem, ne contraria loquendi ratione spectatores offendantur quibus repentina mutatio risui debet esse. ex eadem causa poeta ne usurpet uerba inornata et communia:

„non ego inornata et dominantia nomina solum
uerbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,

1) Bernhardy 3. Bearb. p. 395 unten

nec sic euitar tragico differre colori,
ut nihil intersit, Dauusne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
an custos famulusque dei Silenus alumni."

Nominantur in his uersibus personae, quae in hisce fabulis satyricis agere solent, quaeque orationis suae colore differe debent. sunt autem Dauus, Pythias, Simo, Silenus. cum uero tria priora nomina romanis fabulis comicis sint propria iuxtaque illa illud collocetur Sileni itaque haec quatuor nomina in eadem fabula occurrant, hic locus mihi plane euincere uidetur, comicum hoc loco notari a Horatio fabularum genus.[1])

Quam denominationem nil est quod miremur, cum alias quoque saepius occurrat. cf. Diom. III. p. 480 P.: „Poematis dramatici uel actiui genera sunt quattuor: apud Graecos tragica, comica, satyrica, mimica; apud Romanos praetextata, tabernaria, Atellana, planipes." p. 487: „Atellanae . . similes satyricis fabulis graecis" et differre eas solum personis in sq. affirmat.

Marius Victorinus 2, 4, 25, pg. 110 Gaisf.: „Superest satyricum, quod inter tragicum et comicum stilum medium est: . . quod genus nostri in Atellanis habent." quibus adde Athenaeum VI. p. 261, C. de Sulla loquentem: . . ἐμφανίζουσι δ᾽ αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ᾽ αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ φωνῇ. eundem loquendi usum sequens Dionysius A. R. VII. 72 σατυριστὰς denominat mimicos Romanorum scurras.

Aliud momentum quo similitudo utriusque generis augetur, accedit ex Schol. Iuuenal. III. 175. nam Atellanae eodem modo ac Satyri in scena agebantur tragoedia peracta, itaque exodia erant, quo nomine posterioribus temporibus utique designantur.

Quare iam Welckerus (gr. Trag. pg. 1362) et Vahlenus (Rh. Mus. XVI. p. 474) recte statuerunt, Atellanas Satyris similes adparuisse. neque obest Bernhardy contraria adserens, testimoniaque huic rei fauentia uel aliter interpretans uel in suspicionem uocans. extat Porphyrionis ad u. 220 „Satyrica coeperunt scribere ut Pomponius Atalantem uel Sisyphon uel Ariadnen." cum uero hic Pomponius sit ille clarissimus Atellanarum scriptor, Nouii aemulus, hac quoque re euincitur nostra sententia, Atellanas illo nomine significari. has uero fabulas graecos quoque mythos tractasse testes sunt fabularum nomina nobis tradita. „nil intentatum nostri liquere poetae." cum uero Romani Graecorum tragoedias et latine reddiderint, et liberius quoque sint imitati, cum Graecorum comoedias eodem modo aut suas fecerint, aut contaminauerint, cum Rhinthoniacas quoque fabulas Romam adduxerint, dein in Atellanis, quae pluribus ex partibus Satyris respondebant, graecos tractauerint mythos, mirum esse non potest, eos etiam ipsos Graecorum Satyros, quorum locum apud Romanos „fauni" tenebant, in scenam introduxisse, qui etiam a Nostro commemorantur u. 244:

„Siluis deducti caueant me iudice fauni
ne uelut innati triuiis ac paere forenses . . ."

[2]) Neque alio modo explicandum esse hunc locum lubens concedo, ut sensus huius loci hic esset:

Non enitar, sic ratione a tragico colore prorsus diuersa in fabula satyrica loqui, ut dein nullum discrimen existat inter personas comicas humili suo more in comoediis loquentes et Silenum in fabula satyrica loquentem. haec modo laudata nomina quae exempli uice hoc loco funguntur duo significant personarum genera: alterum humile τὸ ταπεινὸν, alterum graue fabulis satyricis propria.

Silenus exemplum proponitur alterius illius generis personarum, quae a tragico colore multum non debent differre. nam nominatur „custos famulusque dei Silenus alumni".

Nam aperte dicit poeta „inornata et dominantia nomina uerbaque" usurpari licere atque ea suo loco in personis uti Dauus. sed „non ego inornata et dominantia nomina solum uerbaque amabo." Quibus obponuntur nomina et uerba ornata et splendentia λαμπρά. Haec usurpanda sunt in personis grauibus, quarum exempla supra fuere deus uel heros quicunque, nunc in specie nominatur Silenus.

Ita haud dubitauerim quin Pomponii Sisyphus Euripidis fabulam satyricam eiusdem nominis expresserit. hac uero in re poetis romanis iterum duplex poterat exsistere imitandi ratio: alteram sequentes eodem modo imitati sunt in suo dramate ac poetae in palliatis imitabantur tragoedias graecas, huiusque generis exemplum dixerim Sisyphum Pomponii, quem haud dubie ab Euripide sibi mutuatus erat, Ariadnen, Atalantem. alterum genus seruabat fabulas romanas romanasque personas, quae erant uel illae in Atellanis uel comoediis Romanis usurpatae illisque admiscuerunt faunos. ex re ipsa patet, haud ineptam hoc modo adsecutos esse poetas Romanos materiam, cum faunos siluestres inter homines forenses absque iis mirum quantum discrepantes productos in scena spectatoribus proponerent uidendos.

Sed reuertamur ad propositum cum in animo nobis sit inquirire quodnam fuerit poetae in hac epistula conscribenda consilium. Horatius ergo qui epistulam hanc ad Pisones direxerat, nullo modo Pisonum quendam a poesi deterrere in animo habebat, neque a fabula satyrica neque ulla alia scribenda; neque uero alia stat sententia, cuius patronus est Bernhardy. „Man merkt zuletzt dass dieser Schein der Planlosigkeit eine Kunst verbirgt; dass nämlich ein persönliches Interesse, die Belehrung junger dilettantischer Freunde, der in Dichtung wenig eingeweihten aber wohl für die tragische Bühne thätigen Pisonen mit einem allgemeinen Zweck sich mischt"[1]) uel paulo fusius in proemio eiusdem uiri docti Halae 1847 impresso[2]), quo in loco quem statim addemus mire uera et recte monita falsis et nulla firma ratione nitentibus coniecturis conmiscuit. „Primum enim Horatius diserte profitetur u. 304—308

ergo fungar uice cotis, acutum
reddere quae ferrum ualet, exsors ipsa secandi;
munus et officium nil scribens ipse docebo,
unde parentur opes, quid alat formetque poetam;
quid deceat, quid non; quo uirtus, quo ferat error

traditurum se quaedem capita poesis et instrumenta, non ut exemplo proprio sed monitis acuat ingenia (306). spectant haec, media parte carminis absoluta, tantum ad ea quae bonis et prudentibus poetis expetenda fugiendaue sint, desinunt autem in salsam castigationem gregis poetici, cuius ab adsentationibus et leuitate deterret alumnos (?). locum epistulae dixeris criticum et satirae propiorem; cui contraria spirat primordium, leui tenore deductum in modum suasoriae uel orationis moratae (?). inter utramque partem interposita sunt lineamenta poesis scenicae summatim pertexta (?) quibus obportunitatem dederunt conmercia Pisonum (?). Quippe Piso iuuenis, Lucii incertum an Gnaei uiri consularis filius maior in uersibus faciendis elaborabat ac tragoedias in scena conmittendas minitabatur (?) . . . Pisonis (?) autem ut uoluntas et studium debuit consiliis seueris atque cautionibus regi, ne taedium limae, incuria sermonis, artes poetillarum ambitiosae inprouidam aetatem circumuenirent, ita doctrina iuuenilis et uixdum incohata notitiam requirebat rerum scenicarum. consentaneum igitur erat ut historia Graecorum inuentorum cum descriptione morum, uariis sermonis rationibus, denique numeris diligenter fingendis coniungerentur. porro non alienum uidebatur animo tenero (?) maiestatem et reuerentiam operis poetici conmendare (406):

Ne forte pudori
sit tibi musa lyrae sollers et cantor Apollo.

„Iam tironem fuisse Pisonem (!) et rebus idoneis leuiter inbutum declarat color praeceptorum ac submissa narrationum uox et institutio subinde scholastica uel potius ad captum puerilem adcommodata (!?). uelut haec quae magistro quam eleganti poeta digniora esse uidentur (251, sq.)

Syllaba longa breui subiecta uocatur iambus,
pes citus; unde etiam trimetris adcrescere iussit
nomen iambeis qum senos redderet ictus
primus ad extremum similis sib i.

[1]) p. 565 l. c. [2]) p. 14.

„Habuit igitur Horatius, cur uiribus suis parceret et liberalem doctrinam intra modicos fines contineret ac seriem praeceptionis non modo relaxaret et in anfractus deflecteret, sed familiari etiam sermone callide temperaret atque facetis salibus per lenem inrisionem nunc errores populi Romani nunc insaniam iuuenum eruditulorum pungeret.“[1])

Mittamus singula quae obelo signauimus quaeque minus recte nobis dicta esse uidentur, ueluti quae de primordio huius epistulae dicit leni tenore deductum esse in modum suasoriae uel orationis moratae. nam neque primordium eiusmodi quiddam reperitur neque suasoriam nel orationem moratam illud redolet. communem de primordio nostri libri sententiam primus refutauit Vahlenus [2]) — wenn es nicht überhaupt vom Uebel wäre, von einer Einleitung zu reden. Die ars poetica hat einen mit Kunst gewählten Anfang, aber keine Einleitung; für eine solche lässt sich kein Gegenstand derartig absondern, dass nicht der Zusammenhang an irgend einer Stelle empfindlich verletzt würde.

Quae uero de Pisonibus praeunte Wielando tradit, haec iniuria poemati nostro intrudi admodum mihi probabile esse uidetur. neque enim inuenio hos alumnos, quibus tanquam magister in cathedra sedens praecipit quibusque elementa doctrinae metricae tradit — iisdem qui de dramate scribendo cogitant et tragoediam in scenam committendan minitantur. id quidem iustum mihi uidetur esse Orelum eodem ac Bernhardy iure uel nullo statuere potuisse, Pisonem de fabula satyrica pangenda cogitasse, cum Bernhardyo idem de tragoedia asserere liceat. neutrum enim apud Horatium reperies. respexisse locos ad Pisones pertinentes haud parum iuuabit. u. 5. 6. 24 nihil nisi mera allocutio est quae requiritur in epistula poetica quae ad quendam honorandum eius nomine insignitur:

u. 235. Non ego inornata et dominantia nomina solum
uerbaque, Pisones, satyrorum scriptor amabo

qui Orellio ansam dederant erroris sui, Pisonum nomen eodem iure gerunt ac uersus illi priores.

u. 292: Vos o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
multa dies et multa litura coercuit . . .

de Romanis generatim dicta esse dixerim, nam conmune quoddam illius temporis uitium carpit reprehenditque, taedium limae, de quo in aliis quoque epistulis queritur maxime II. 1, 167.

Sed turpem putat inscite metuitque lituram.

u. 366. o maior iuuenum, quamuis et uoce paterna
fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
recte concedi . . . .
. , . mediocribus esse poetis
non homines, non di, non concessere columnae.

Dixerat poeta, paruis uitiis egregio in carmine ueniam esse dandam iisque raris:

u. 351. Uerum ubi plura uitent in carmine, non ego
paucis offendar maculis.

Si uero iusto sunt crebriora et uel uirtutes obumbrant uitia, malum est poema etsi singuli loci emicent, quibus cum componantur II. 1. 71 sq. (de Liuii poematibus)

sed emendata uideri
pulchraque et exactis minimum distantia miror,

[1]) Similia in historia sua Romanarum literarum (3 ed) p. 576 tradit. „Die Rücksicht auf das Bedürfnis seiner Pisonen bewog ihn zu den Anfangsgründen unter andern der Metrik, herabzusteigen, wobei gelegentlich an einen strengeren Senar erinnert wird).“

[2]) l. c. p. 14 sq.

inter quae uerbum emicuit si forte decorum
si uersus paullo concinnior unus et alter
iniuste totum ducit uenitque poema.

Itaque haec dicit poeta: mediocria carmina non feruntur, aliis in rebus mediocritas tolerari potest. persuasum habeas o maior iuuenum, quamuis et uoce paterna fingeris ad rectum et per te sapis, mediocribus esse poetis non licere. Quid sibi uelit haec adlocutio quaerendumst. Equidem in his nonnisi blandas et patris et filii laudes possum perspicere, nequaquam uero uerba Pisonem a poematibus pangendis deterrentis.[1]) Conferantur modo aliae eiusmodi adlocutiones; quibus aperte poeta secunda persona utitur ad rem generalem hac ratione qua directe certam quandam personam e grege tollit inlustrandam. Haec uero duplici modo fieri potest. adloquitur uel ipsam personam, ad quam epistula dirigitur, uel indefinite utitur secunda persona. ad priorem rationem spectant u. 6. „credite Pisones isti tabulae fore librum persimilem“ et u. 24, 235. ad alteram rationem (47) „dixeris egregie, notum si callida uerbum reddiderit iunctura nouum“ nec non 20, 104, 119. sq, 129, 132, 136, 153, 268, 291, 310, 360. Hi loci, in quibus secunda persona utitur poeta, nullo modo singularem quandam personam eamque solam respiciunt, ne tunc quidem, si persona quaedam nomine suo adpellatur, ueluti hac in epistula in pluribus locis Pisones, qui tali adlocutione honorantur a poeta. unus superest locus, qui ansam dedit illi de Pisone poema quoddam scripturo hypothesi. u. 355.

Tu nihil inuita dices faciesue Minerua,
id tibi iudicium est, ea mens. si quid tamen olim
scripseris, in Maeci descendat iudicis aures
et patris et nostras.

Sed totius loci tenor respiciendus: qui artem quandam uel ludum tractant inperiti, ridentur quare ab ipsa desistent. ad uersus uero faciendos quiuis sat ingenii atque artis habere se putat itaque hodie quiuis doctus et indoctus pangit poemata.[2]) Hoc absonum est. tu uero hoc non facies, utpote es ratione praeditus. imo si uel hoc faceres et ingenium poeticum tibi inesse ratus carmina pangeres, tamen iudicem seuerum adibis consulturus. Hi uero omnes inflati omne se tulisse punctum autumant. — Haec in genere esse dicta neque Pisonem magis respicere quam quemuis alium lectorem, aperte probat locus huic persimilis (436).

si carmina condes,
nunquam te fallant animi sub uolpe latentis.
Quintilio si quid recitares . . .

Nam poeta eodem modo quoque prima utitur persona:

25, 35, 55. 86, 87, 234, semel prima et secunda 272

si modo ego et uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Ex his mihi persuasi, epistulam hanc respicere quidem Pisones, cum sit eorum nomine insignita sed aeque uel multo magis quemcunque huius epistulae lectorem. epistula uel manus amicorum Horatii per-

[1]) Haec Michaelis sibi parsuasit. quid faciamus isti quamuis. Haec dicit poeta: o Piso, hoc firmum teneto me praedicante quamuis ipse qua es ingenii acritudine atque eruditione haec intellegas uel iam a patre tuo culto edoctus es.

[2]) Cf. II. 1. 108 Mutauit mentem populus leuis et calet uno Scribendi studio; pueri patresque seueri Fronde comas uincti cenant et carmina dictant.

Quae u. 382. „Qui nescit uersus tamen audet fingere“ breuiter modo monentur, fusius ab Horatio II, 1, 114—117. dicuntur.

Imo quae in utraque Epistula hos uersus sequuntur, idem tractant argumentum, poesin magni esse faciendam poetasque ceu uates uenerandos.

migrabat multis exemplaribus uulgata uel apud Sosios statim uenıbat. Horatius aequales suos omnes intuens hanc de poeseos poetarumque muneribus et de uia ipsa haec explendi Epistulam scripserat.

Itaque qui epistulam ad Pisones scriptam secundo epistularum libro addidere tertiam, optime eius perspexerant indolem quae nonnisi diligenter facta conparatione cum istis duabus epistulis recta collocatur luce[1]). Addimus illos locosex iisdem sumtos qui cuique obiter tantum libros hos legenti tanquam arte cohaerentes conspicui fiunt.

II,1,	II,3,	II,2,	II,3,
18 sq.	270—274	109—128	47—72
74	351 sq.		86—88
107—117	379 sq.		388—390
130—138	390—406		
161—169	285—290		

Itaque si omni modo requirendum est, quanam re permotus Horatius epistulam hanc scripserit idque nonnisi hypothesi potest expediri, haec hypothesis sumenda est ex Epistula ipsa et diligenti primae et secundae epistulae inquisitione niti debet. Horatius nouae poetarum et criticorum scholae dux peruersum illorum insectatur iudicium, qui quoduis poema ex aetate eius tantum metiebantur atque aestimabant, noua uero carmina quamuis egregia aspernabantur, stulti nimiique antiquitatis admiratores. alterum genus Horatii aduersariorum poetae illi mali uel potius uersificatores qui morbo illi tum grassanti indulgentes indocti scribebant libros quos carmina esse uoluerunt. Hi Choerili, cum seuerum Horatii iudicium aegre ferentes ipsum adorirentur eumque in certamen prouocarent ut ipse melius quoddam carmen (maxime tunc florebant tragoediae. Q. Cicero sedecim diebus quatuor scripserat cf Cic. ad Q, 3, 6) proderet, hac epistula ab Horatio edocentur, qui quid ipse de poesi sentiat, quod carmen egregium putet quibusque auxiliis uel qua ratione singularis haec perfectio quaerenda consequendaque sit, exponit. Munus et officium nil scribens ipse docet[2]).

---

[1]) Hoc Duentzerus iam fecerat inque eius sententiam pedibus eundumst.

[2]) Unus Vahlenus quod sciam, paucis sed iustis uerbis Epistulae summam ita exposuit (l. c. p. 12 einer poetischen Epistel, die über Aufgaben der Dichtung und der Dichter sich ausspricht.) Epistulam hanc dixerim vernacula lingua esse ein poetisches Glaubensbekenntnis. — Neque multum aliena sunt quae Dillenburger (Ed. V. p. 588) de consilio huius Epistulae monet. „Mihi quidem hoc carmen ab Horatio quasi quoddam testamentum relictum uidetur, quo ciues suos inprimis poetas, ab iis uitiis quibus eos uideret laborare, deterreret coniungeretque quae sibi per suam uitam usu et experientia edoctus sana fecisset praecepta, olim iam magnam partem cum ferret occasio, proposita per satirasque et epistulas dispersa.“ iam ante tria secula Robertellius similia protulerat, ut adparet ex Rappolti uerbis: „quin ita potius cum Robertellio statuemus, cum Romae sua aetate uideret Horatius esse multos, qui poetae nomen falso sibi uindicabant diesque totos in carminibus scribendis consumebant et ignorabant tamen, quanto in pangendis uersibus opus esset artificio, diutius illorum inscitiam et insolentiam aequo animo ferre non potuit et sermone hoc satis longo cum Pisonibus habito reprehendere eos instituit singillatimque omnes illorum errores demonstrare: quibus patefactis dat operam ut eos ad meliorem frugem reducat praescribens rectam rationem poematis in eo praesertim, in quo labi eos animaduerterat.“ iam uides quid tenendum de illa quam Bernhardy dixerat scholastica subinde institutione, quae ad usum Pisonis tironis et rebus idoneis leniter imbuti pertinebat, cuius exemplum notos illos de iambo uersus profert. scilicet Piso cui tragoediam scribere in animo erat propositum quid esset iambus ignorabat eiusque ignorantiae medetur Horatius: „syllaba longa breui subiecta uocatur iambus!“ Orellius ad hoc notat: „cum de legibus iambi a poetis Latinis negligentius elaborati acturus esset, u a f r e incipit a primis elementis tanquam merus ac simplex grammaticus.“ Ironice et facete haec ab Horatio dicta esse mihi quidem planum est. Romani poetae iambo utuntur metro; iambus uero cum constet syllaba longa breui subiecta sitque pes citus, poetarum illi uersus sunt tardi iambique locum spondei sibi adrogarunt. cf. Lehrs p. CLX. CCX. nota.

II.

Sed nimis longe in his moramur transeundumque nobis est ad aliam quae mentem nostram obcupat quaestionem multum a uiris doctis agitatam saepeque iactatam quae ultro se obtulerat de fontibus huius epistulae quibus H. usus sit inquirentibus. Quaeritur num quaedam inter Aristotelis ποιητικὴν et nostram epistulam intercesserit ratio. Consilium utriusque libelli esse prorsus diuersum iam supra monitum; cum uero sint singulae quaedam res et capita, quae utrique operi sunt conmunia inquirunt uiri docti, num Horatius Aristotelici operis habuerit notitiam numque quaedam ex ipso mutuauerit. Scaliger in sua utriusque libri conparatione haec prodidit: „Ordinem neglexit Aristoteles, Horatius uitiauit.“ Grifollius se ostendisse gloriabatur, „locos Horatianos ac totum fere hoc opus ex Aristotelis arte poetica decerptum esse.“ Manzonius demonstrare nobis uult, „expressum ab Aristotelis poetica Horatii poetices ordinem.“ Neque Heinsius aliter iudicat „Horatium etiam Aristotelem secutum esse et fere omnia ex eo deprompsisse.“ Cum priores Neoptolemum (cf. schol.) et Aristotelem ab Horatio esse in suos usus uocatos statuerent A. Dacierius miro quodam ut suspicor casu aliorum quoque caternam inuenit, quos Hium in opere suo expressisse sibi persuasit. „il avait en vice de donner aux Romains une poétique qui serait comme un abrégé et un précis de ce qu' Aristote, Criton, Zenon, Democrite et Neoptolème de Paros avaient écrit sur ce sujet.“ Regelsbergeri mentio iam facta. Recentiores cautius iudicarunt in hac re similesque tantum si qui inuenti sunt locos conponendo (Hocheder Streuber) huic operae satisfacere sunt conati. Hic p. 19. suam inquisitionem hisce claudit: „Quod in hac re uerum esse uidetur, hoc est, Horatium Aristotelem passim ita respexisse, ut in singulis quibusdam sententiis uerbisque exprimendis casu fortasse magis aliquo atque natura rei, quam consilio cum eo consenserit. quod ne quis ita intellegat, ut Horatium euolutum Aristotelis librum ante oculos habuisse et inde, quod aptum síbi uidebatur, transcripsisse credat hoc monitum uelim.“ Orellius (III. ed p. 684) Aristotelem fuisse ab Horatio lectum negat „passim conparari possunt cum praeceptis Horatianis loci ex Aristotelis libro περὶ ποιητικῆς non tamen tot quot nonnulli interpretes similitudinis quadam specie decepti uoluerunt. immo nisi omnia me fallunt, Aristotelem non legit Horatius.“ nam sicuti diuersissimae eaeque contrariae sententiae suos semper inueniunt patronos, ita hac quoque in controuersia aliis Horatium omnia ex Aristotele expressisse autumantibus alii Horatium uel Aristotelici libri habuisse notitiam negarunt. ex eadem parte stat Bernhardy qui in Prooemio suo Halensi paulo temerius fert iudicium: „quodsi Aristotelis nullam hodie litterulam teneremus, mirarer tamen huius sententiae (Horatium Aristotelis oracula suum in uolumen condidisse) temeritatem; nunc cum omnium manibus teneatur eximium περὶ ποιητικῆς fragmentum quid de conmento tali statuam non inuenio . . . . Mittimus enim et graphicam aetatum notationem (156 sq.) non e domo Peripateticorum desumptam sed diu scholis rhetorum iactatam et leniora quae tum Romae non operose quaesita doctis hominibus in promptu essent.“ Judicii huius acritudinem mitigauit paululum in Litgsch. Ed. 3, p. 576; „davon verdankt er einen kleinen Theil seinen griechischen Quellen worunter Plato und Aristoteles kaum zu nennen sind,“ inspecto diligenter et caute scripto illo Michalis libro de auctoribus Horatii, qui in fine libelli sui haec nonnisi quae dicat habet: „quodsi conparatio nostra Horatii et Aristotelis recte instituta est, perpauca apud utrumque tam similia esse adparet, quae ille ex hoc expressisse uideatur; id uero constat, consilium quod uterque secutus sit plane diuersum esse[1]) et alio loco „Horatium p o t u i s s e pauca a Neoptolemo accipere, nonnulla e Platonis Aristotelisque scriptis hausisse u i d e r i.„ Quem secutus Susemihl in editione sua Aristotelicae poetices dubitat num quaedam ex ipsa hauserit Horatius.

Hunc in modum distantibus uirorum doctorum sententiis proprium mihi formaturus iudicium conparationem istam denuo instituere non dubitaui, neque uero Streuberi uiam sequens qui locos Aristotelianos nulla sensus habita ratione, similitudine uerborum modo ductus Horatianis adposuit atque inter eos nonnullos falso adtraxit, nonnullos praeteriit, neque Michaelis indagandi ratione contentus qui Aristotelis

---

[1]) p. 32.

ποιητικῇ pro fundamento exordioque suae conparationis posita capita omnia singillatim ex ordine percensens plane quidem demonstrauit, diuersum omnino esse utriusque libri consilium, diuersam quoque summam. attamen cum passim eaedem tractentur res scopo utique diuerso, in singulis utique respicere poterat Horatius eximium Stagiritae librum. itaque Horatii epistulam ex ordine perlustrantes sententiarumque nexum quaerentes omnes illos Aristotelis locos huc adferemus qui uel et uerbis et sensu uel sensu saltem cum illis conparari possunt. neque *ποιητικὴν* solam hunc in finem peruoluimus sed *ῥητορικῆς* librum tertium quoque perscrutandum censuimus. hoc uero hac in opera animi iudicio ferebar, Horatium Graecorum et laudatorem et imitatorem nullo modo non potuisse neglegere hunc Graecorum summum scriptorem. Grais ingenium, Grais detit ore rotundo musa loqui. exemplaria graeca nocturna uersanda manu uersanda diurna Horatio uidebantur. Aristotelis scripta uero tunc temporis Romae erant peruulgata et notissima uiris doctis; nam uolumina illa quae Scepsi fossa fuerant abscondita, circa annum C. a. Ch. ab Apellicone librario Athenas reportata ibique publici iuris iterum facta. Athenis a. 87 captis Sulla codices adripuit Romamque asportauit, ubi Tyrannio grammaticus diligenter manibus eos uersabat apographaque parabat. sine dubio Horatius Aristotelem legerat. potius mirandum esset eum tale quid non fecisse. iudicium nostrum uero de hac re inpeditur illa qua reperiuntur libri Aristotelei conditione. nam neque περὶ ποιητικῆς librum integrum habemus sed mutilatum et potius excerptum summarium et illi qui hic maxime in conparationem uocandi essent libri periere. tales erant ἀπορήματα ποιητικὰ α' (Diog. L. 5, 26), περὶ τραγῳδιῶν (l. c.) πραγματεία τέχνης ποιητικῆς (5, 24) περὶ ποιητῶν (5, 22) de quibus consulatur Bernays.

In medias nos agens res Horatius statim summam cuiusuis artis legem inculcat, quodque artis opus simplex atque unum esse oportere. imagine usus orditur a mala pictura, cuius partes diuersissimae sunt neque coniungi possunt. hunc errorem apud poetis quoque deprendimus quem ne excusaueris libertate illa poetis concessa quique nullo modo conpensatur splendidis singulis locis cum operis summa sit praua.

Poesis saepe cum pictura componitur cf. u. 19; 30,361—364, Aristoteles quoque pluribus locis, 1, 4. 2, 1. 4, 3—5. 6, 11. 15. 7, 4—5. 25, 1. ῥητ. 3. 12, ante eum iam Plato aliique tali usi sunt conparatione.

Quod uero rem ipsam adtinet, optime huc uocantur Arist. *ποιητ.* 23, 1. *ὅτι δεῖ τοὺς μύθους καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις συνιστάναι δραματικους, καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος ἵν' ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονὴν δῆλον* quae quominus fontem loci Horatiani esse putemus impediunt Platonis uerba eadem praedicantis; Phaedr. p. 264 c. *δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα πρέποντα ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα.* haec multo magis quam illa Aristotelea cum loco nostro congruunt. —

Quod imaginis ope inlustrauerat poeta *ἀξίωμα* u. 23. clare enuntiat: „denique sit quiduis simplex dumtaxat et unum.“ iam uides duabus constare partibus hoc praeceptum. „unum“ illud refero ad u. 1—13 desideratur enim *μῦθος περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν* siue secundum 8, 4 *χρὴ οὖν τὸν μῦθον . . . μιᾶς τε εἶναι ταύτης καὶ ὅλης (πράξεως)* ad qualem mythum designandum utitur Aristoteles uoce „εἷς,“ Horatius „unus.“ altera pars praecepti in eo constat ut quiduis sit simplex u. 14—22. inlustraturque uariis exemplis. uitia haec refero ad *ἐπεισοδιώδεις* 9, 10: *τῶνδὲ ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶ χείρισται. λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκος οὔτ' ἀνάγκη εἶναι.* Streuber uoce „simplex“ in fraudem ductus adtulit ad hunc u. 23 haec 13, 14. *ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι.* Aristoteles uero distinguit *μῦθον ἁπλοῦν* et *πεπλεγμένον*, uterque uero *εἷς* sit oportet. hoc uero loco *ἁπλοῦς* obponitur *διπλῷ* quod explicatur in hunc modum: *δευτέρα δ' ἡ πρώτη λεγομένη ὑπό τινων ἐστὶ σύστασις ἡ διπλῆν τε τὴν σύστασιν ἔχουσα καθάπερ ἡ Ὀδύσσεια καὶ τελευτῶσα ἐξ ἐναντίας τοῖς βελτίοσι καὶ χείροσιν.*

Qui fit, ut poëtae in hac re adeo graui toties errent? una eiusmodi errorum causa est haec: de-

cipiuntur specie recti et dum uariare cupiunt rem unam, unitatem laedunt, quia arte carentes, uirtutem uitiumque ipsi uicinum discernere nequeunt. altera eiusmodi erroris causa additur (32—37): unitas operis quoque laeditur si quis singulas operis partes docte ac expolite tractans totum ponere nescit. [1])

Iam uides haec redire ad ea quae u. 1—23 dicta sunt.

Ex Aristoteleis nil huc uocabis.

Quod nunc sequitur praeceptum

„sumite materiam uestris, qui scribitis, aequam
uiribus“ [2])

arctissime cohaeret et cum inmediate praecedentibus 32—37 et iis, quae his antecedunt, de quo audiamus Vahlenum l. c. p. 8 loquentem: Bis hieher ist die Darlegung des Dichters eine mehr negative, die Irrungen sind bezeichnet und ihre Anlässe. Wie hat es nun der Dichter angefangen und welches ist die erste Bedingung, die er an sich zu stellen hat, um den Anforderungen der Kunst zu genügen? Darauf gibt 38 die Antwort“ [3]). Re potenter lecta o r d i n e m seruabis u. 43—44 et facundia te non deseret. pluribus haec prosequitur poeta u. 45—72 [5]) quae tractant de elocutione *λέξις* primo utendum est solis uerbis carmine dignis, dein nota uerba si adhibebis, callida iunctura uenerem ipsis adferas; denique iure quoque poetae licitum esse debet, noua fingere uerba. ultimum hoc praeceptum obcasioni est Horatio ut adiciat ad haec uerba generalem sententiam de linguae mutabilitate.

Streuberus comparauerat cum „ordinis uirtus“ Ar. *λέξεως ἀρετή* [4]) 22, 1. cf. ῥητ 3, 2. 3, 12. monendum *λέξιν* non esse „ordinem“ cf. 6, 4. *λέγω λέξιν μὲν τὴν τῶν ὀνομάτων σύνθεσιν* 6, 18. *λέγω λέξιν εἶναι τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν.* praecipue 19, 4—22. — cum recte Aristoteles moneat: *λέξεως ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. σαφεστάτη μὲν οὖν ἐστιν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἀλλὰ ταπεινή . . σεμνὴ δὲ καὶ ἐξαλλάτουσα τὸ ἰδιωτικὸν ἡ τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη.* itaque cum *σεμνὴν* uis habere *λέξιν* facile seduci poteris uti solis *ξενικοῖς. ἀλλ' ἄν τις ἅπαντα τοιαῦτα ποιήσῃ, ἢ αἴνιγμα ἔσται ἢ βαρβαρισμὸς* perdetque *σαφήνειαν* itaque in *ῥητ.* 3, 12 mouet: *καὶ τὸ ἡδεῖαν τὰ εἰρημένα ποιήσει. ἂν εὖ μιχθῇ τὸ εἰωθὸς καὶ ξενικόν.* sed tunc quoque

„dixeris egregie, notum si callida uerbum
reddiderit iunctura nouum“

cum quibus haec conferantur *ῥητ* 2, 2. *κλέπτεται δ' εὖ ἐάν τις ἐκ εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ.*

---

[1]) „Faber unus“ a Bentleo reuocatus permouit Lehrsium ut lacunam post u. 33 esse statueret. desiderat „alium“ fabrum qui aliis in rebus erat artificiosus, totum uero ponere nesciebat. poetae ad inlustrandam imagine sententiam suam sufficiebat „unus“ faber, dein ferri non posset „nesciet“ sed plurali numero utendum esset. recte Bentleius: „unus“ omnium optime capillos et ungues exprimet, cetera uero membra et totam adeo statuam ponere non potest.

[2]) Inepte cum his Hochederum quem inspicere mihi non licuit comparasse Ar. π. 25, 4. *εἰ μὲν γὰρ προείλετο μιμήσασθαι ἀδυναμίαν* a Michaelis eum carpente edoceor. nam cauendum est, ex minima unius uel duorum uerborum congruentia statuere haec ab illo esse expressa. imo oportet ut et uerborum tenor mire concordet et sensus loci sit idem, ut iam clare adpareat, respectum esse habitum illius loci.

[3]) Refellere haud opus est Lehrsii commentum u. 136—152 pone u. 37 conlocantis. ineptius quid cogitari non potest nulloque modo sententiarum iunctura magis dirumpi scindique potest. neque Lehrs inter u. 37 et 38 quid desiderauerat, unica huius transpositionis causa ea est quod inter u. 135 et 136 nexum reperire quendam non poterat. itaque iis eiectis locum quendam uel conpagem quaerebat in quam, si diducta esset, uersus illos intruderet. meminisset quae ipse p. CLX et CCVII passim monuerat.

[4]) Cf. ῥητ. 2, 2. *τοῦ ῥητορικοῦ λόγου ἀρετή*

[5]) V. 45—48 a Bentleio transpositis duobus uersibus lucem suam atque uim optime receperant. nuperrimus uero editor iterum, „scabiem et sordes“ quas Anglus eiecerat infert. V. „hoc amat sq.“ tanquam spurius eicitur. „Er stört und das promissi carminis auctor will keine ordentliche Erklärung gestatten.“ attamen uersus „in uerbis etc.“ et 47. nullo modo iungi possunt. hoc aeque eleganter ac sagaciter Vahlenus l. c. p. 9. sq. demonstrauit.

Cum uero *λέξις* poetica sit *ἔμμετρος*, necessario nunc agit de metro cuique poeseos generi proprio uel rhythmi natura uel usu constituto quod poeta seruet necesse est. 73—85. qui haec non curat uel nescit, poeta non est (86—88). si uero quodque carminis genus suum numerum requirit, orationis color uel stilus quoque praeter illa generalia praecepta quae ante exposita sunt, peculiares quasdam seruare debet leges; est enim in diuerso carminis genere et ipse diversus. et tragicis uersibus nullus est locus in comoedia nec tragoedia, quae τὸ σεμνὸν requirit, humilem comoediae uocem feret. 89—92. et in uno quoque carminis genere stilus uariatur secundum πάθη et ἕξεις singularum personarum. 114—118.

Falso adlegari ad u. 73 sq. Ar. p. 1, 2 ἐποποιία δὴ καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας etc, cuique statim adparebit qui Horatium nullam generum carminis enumerationem his uoluisse prodere tenet. alia uero inuenies quae mirum in modum Aristotelea redolent. ῥητ. 3, 8. *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. ποίημα γὰρ ἔσται . τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.* iambum aptum sermonibus adeoque *μέτρον λεκτικώτατον εἶναι*, multis aliis locis monetur ῥητ 3, 1 *ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν διὰ τὸ τῷ λόγῳ τοῦτο τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων* clarius ποι. 4, 14. *λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τὸ μέτρον, τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν. σημεῖον δὲ τούτου. πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους* 22, 10 *ἐν δὲ τοῖς ἰαμβείοις. διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι.*

„Archilochum proprio rabies armauit iambo.“ est enim *οἰκεῖον μέτρον* rabiei cf. ποι. 4, 8 *ἐν οἷς (τοῖς τῶν φαύλων ψόγοις) κατὰ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον. διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους.*

Horatianum „Res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo scribi possent numero“

lucem accipit ex Ar. ποι. 24, 5 *τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωικὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοκεν. εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο ἢ ἐν πολλοῖς, ἀπρεπὲς ἂν φαίνοιτο. τὸ γὰρ ἡρωικὸν στασιμώτατον τὸ δὲ ἰαμβεῖον καὶ τετράμετρον κινητικά* (pes citus), *τὸ μὲν ὀρχηστικὸν, τὸ δὲ πρακτικόν* (natum rebus agendis). ad u. 89 sq. adferuntur quaedam Aristotelea, quae uero rem solam nullo modo uero tenorem nostri loci tangunt, requiri tragoediam *τὸ φοβερὸν* et *ἐλεεινόν*, cum ex altera parte stet *τὸ γελοῖον τῆς κωμῳδίας*. cum Streuberus adleget huc ῥ. 3, 7, 5 *συνομοιοπαθεῖ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι*, nos potius, totius loci sententiam intuentes initium septimi huius capitis huc adferemus. Horatius docuerat quodque opus debere seruare suum colorem, adfertque exemplum conparans tragoediam et comoediam. dein alterum additur praeceptum: in singulo quoque quouis opere seruentur *τὰ πάθη* personarum agentium i. e. adfectus conditioni fortunaeque, in qua tunc persona illa uersatur respondentes, aeque ac *αἱ ἕξεις* innatae cuiuis qualitates, quae aetate, dignitate, genere, patria uarie sunt circumscriptae. cum quibus haec conferantur ῥ. 3, 7 init. *τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς, μηδ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος. εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται . . παθητικὴ δέ, ἐὰν μὲν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις, ἐὰν δὲ ἀσεβῆ καὶ αἰσχρά, δυσχεραίνοντος καὶ εὐλαβουμένου καὶ λέγειν, ἐὰν δὲ ἐπαινετά, ἀγαμένως, ἐὰν δὲ ἐλεεινά, ταπεινῶς καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων δὲ ὁμοίως. πιθανοῖ δὲ τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ οἰκεία λέξις. παραλογίζεται γὰρ ἡ ψυχὴ ὡς ἀληθῶς λέγοντος ὅτι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις οὕτως ἔχουσιν ὥστ' οἴονται τὰ πράγματα οὕτως ἔχειν, καὶ συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι, κἂν μηδὲν λέγῃ . . καὶ ἠθικὴ δὲ αὕτη ἡ ἐκ τῶν σημείων δεῖξις, ὅτι ἀκολουθεῖ ἡ ἁρμόττουσα ἑκάστῳ γένει καὶ ἕξει. λέγω δὲ γένος μὲν καθ' ἡλικίαν, οἷον παῖς ἢ ἀνὴρ ἢ ἀνὴρ ἢ γέρων, καὶ γυνὴ ἢ ἀνήρ, καὶ Λάκων ἢ Θετταλός, ἕξεις δέ, καθ' ἃς ποιός τις τῷ βίῳ . . ἐὰν οὖν καὶ τὰ ὀνόματα οἰκεῖα λέγῃ τῇ ἕξει, ποιήσει τὸ ἦθος. οὐ γὰρ ταὐτὰ οὐθ' ὡσαύτως ἀγροῖκος ἂν καὶ πεπαιδευμένος εἴπειεν.* et iam facile inuenies, utique existere certam quandam rationem inter utrumque locum. quod si cum altero illo de aetatibus loco uu. 154—178 et ῥ. 2, 12—14 hunc conpares, statuere licebit, legeritne Horatius Aristotelem.

Ad u. 108—111 adductus erat iam a Streubero ῥητορικῆς locus supra scriptus,[1]) cui ab eodem alius ex poetice c. 17 desumptus additus fuerat *πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσι καὶ χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα.* ad quae Michaelis p. 29: „Sed nescio an non recte illa Aristotelis uerba ita interpretentur ut idem dicant ac quae ῥητ. 3. 7. leguntur: *συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι.* nam et actiua uocabulorum, quae sunt *χειμαίνειν* et *χαλεπαίνειν* notio certe minime uulgaris est neque *ἀληθινώτατα* bene dictum uidetur pro eo, quod est *ἐνεργέστατα* neque poetae est ira spectatores adficere. quamobrem fortasse non male Müller II. 26. 361 sq. locum ita explicat, „qui ipse aestuet, uerissimam aestuantis, qui ipse irascatur, uerissimam irati praebere speciem.“ quamquam ita quoque remanet quaedam difficultas, cum Aristoteli potius dicendum fuisset *πιθανώτατοι δὲ οἱ ἀπ' αὐτῆς τῆς φύσεως ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσιν* . . itaque cum mihi non liqueat hoc in medio relinquam.“ 1. actiuam uerbi *χαλεπαίνειν* et *χειμαίνειν* significationem raro inueniri, recte uotauit. sed totius loci sententia in iudicium uocanda, quae haec est: fidelissime iratum imitabitur, qui ex sua natura ipse ad iram est pronus: quod quum raro continget, *τοῖς σχήμασι συναπεργάζεσθαι* debet poeta, quia si iratum ipse se agere studeat, hoc etiam animum eo adfectu quodammodo adficiet et sic artificio quodam illam irati naturam subplebit.[2]) idem apud Horatium inuenimus. poeta qui auditores conmouere studet, uel ad flendum excitare, ipse primum sit conmotus uel eodem uersetur adfectu. 2. *ἀληθινώτατα* i. e. fidelissime, uerissime conuenit huic loco, cum supra scriptum (17, 1) *ἐνεργέστατα ὁρῶν* adcurate singula quaeque uidere significet. 3. iram alienam esse ab tragoedia statuere ridiculum. π. 19, 2 *ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι. μέρη δὲ τούτων τό τε ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν, οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργήν.* 4. haud recte Michaelem uero Wistanleium sequentem mutare traditam lectionem, docemur a Vahleno Krit. l. c.

119—135. *ἤθη* et *ἕξεις* sunt semper seruanda, siue persona describitur ab aliis iam facta et tradita (quae fiunt in illis fabulis quas Aristoteles *παραδεδομένους μύθους* adpellat) siue nouae inueniuntur a scribentibus ipsis. nouas autem fingere periculosum est, traditas describere facilius et gratius; in qua tamen re cauendum ne scriptio omnino coerceatur imitatione sed in traditis etiam personis necessaria est describendi nouitas ac proprietas. haec arte cum praecedentibus cohaerent neque tanquam finis et initium diuersorum capitum diuelli debent u. 118 et 119.

Plura ex Aristotele huc adferri lubebit. nono poetices capite rerum scriptori uindicatur munus *τὰ γενόμενα λέγειν*, poetae οἷα ἂν γένοιτο. itaque poeta nullo modo traditis uti fabulis cogitur, sed plerumque hoc fit. *τὰ γενόμενα φανερὸν ὅτι δυνατά. οὐ γὰρ ἂν ἐγένετο, εἰ ἦν ἀδύνατα.* cum uero fabulae traditae omnibus haud sint notae pariterque tamen omnes delectant, prorsus noua fingi possunt uelut in Agathonis *Ἄνθει. ὥστ' οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων, περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσί, ἀντέχεσθαι.* his uero praeferentia debetur itaque (13, 5) *νῦν περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ κάλλισται τραγῳδίαι συντίθενται.*

Streuberus ad „sibi conuenientia finge“ adfert , 15 3 *τρίτον (οὐ δεῖ στοχάζεσθαι περὶ τὰ ἤθη) δὲ τὸ ὅμοιον. τοῦτο γὰρ ἕτερον τοῦ χρηστὸν τὸ ἦθος καὶ ἁρμοττον ποιῆσαι.*

Nescio quidnam horum duorum ὅμοιον uel ἁρμόττον pertinere huc uelit Streuberus. neutrum equidem censuerim „sibi conuenientia“ potius idem est ac.

„seruetur ad imum
qualis ab incepto processuerit et sibi constet.“

Eidem uiro ad 120—122 quibus Achilles exemplum ponitur fabulae traditae referenti . 15, 8 respondendum, nil esse commune uel simile inter utrumque locum. in hoc tantum congruunt quod ex Achille sumitur exemplum, sed ab utroque scriptore ad rem diuersam inlustrandam.

---

[1]) ῥ. 3, 7. 5.

[2]) Cf. Vahlen Krit. Ar. Sch. p. 75. et Beitr. p. 42.

Cum Horatius poscat, „seruetur ad imum qualis ab incepto processerit et sibi constet“ idem Aristoteles c. 15 uoce ὁμαλὸν utens ponit. ὅμοιον autem denotat „simile“ ueritati siue uerae personae proximum cf. 15, 8 *οἱ εἰκονόγραφοι ὁμοίους ποιοῦντες.* falso Dillenburgerius interpretatur u. 128, „difficile est proprie communia dicere“ „communia“ ratus esse „argumenta fabularum a nullo adhuc tractata et ita, quae cuiuis exposita sunt et in medio quodam modo posita quasi uacua et a nemine occupata. talia argumenta difficile est ita tractare, ut p r o p r i e s u a iure dici possint.“ recte Orellius grace uertens *χαλεπὸν τὰ κοινὰ ἰδιῶσαι.*

u. 130 sq. plena in luce demum conlocantur posita iuxta Aristotelea 9. *δῆλον οὖν ἐκ τούτων ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι, μιμεῖται δὲ τὰς πράξει.*[1]) cf. 15, *αὐτὸν (τὸν ποιητὴν) εὑρίσκειν δεῖ καὶ τοῖς παραδεδομένοις χρῆσθαι καλῶς* a Streubero ad u. 139 adlata π. 23. 4. nil huc pertinent.

Cum haec περὶ μύθων a Horatio prolata mire nobis cum Aristoteleis consonare uisa sint, Michaelis contra argumentum ex iisdem sibi effingit contrarium: „altero loco prorsus contraría Horatius et Aristoteles docent. Hic enim postquam Agathonem in „flore“ omnia finxisse ipsum nec tamen minorem oblectationem concitare exponit, pergit in hunc modum 9, 8, *ὥστ' οὐ πάντως εἶναι ζητητέον* sq, (uide supra) Horatius uero dehortatur Pisonem „ne quicquam inexperti scenae committat.“ ni mirum ille in uniuersum-loquitur, hic adulescentem monet primum tragoediae scribendae periculum facturum.“ — Falso. Horatius quoque in uniuersum siue θεωρητικῶς loquitur: „aut famam sequere aut sibi conuenientia finge“ Haec duo singularibus praeceptis inlustrantur. ad finem demum Horatius Romanos scriptores qui inuentionis felicitate haut multum fruebantur respiciens (nam hos non tironem monet) addit „tu uero rectius Iliacum carmen deducis in actus, quam si proferres ignota indictaque primus.“

Finierat poeta proximam partem hac monitione: facilius esse *μύθοις παραδεδομένοις* uti. quos in sequentibus respiciens pergit. 136—152. qui rem iam tractatam imitatur, ne desiliet in artum neue anxie imitetur. nam audebit nihil mutare, etsi inlepidum uel falsum sit. itaque exordium elegans et aptum excogitet bonaque tantum exempla sequatur. ne multum promittat quae deinde non praestabit. dein curet ut statim in medias res et notas rapiat legentem uel audientem. si *μῦθον παραδεδομένον* sibi tractandum elegerit, quae consilio suo repugnant uel inuenusta sunt missa faciat et cum haec quoque quae tradita sunt uariare et publicam materiem priuati iuris facere debeat, sua quoque quae ipse sibi finxerat (falsa) addat „ueris“ illis quae utpote tradita auditoribus nota sunt. additamenta uero haec cum inter se sibi constent tum fabulae traditae quar.. ducem sequitur respondeant ne medium initio, medio uero finis discrepet.[2]) inlustre exemplum proponitur Homerus.[3])

Aristoteles capite 7 ἀρχήν, τελευτήν, μέσον definit. ex qua definitione sequitur *δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας εὐ μύθους μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν ἄρχεσθαι μήθ' ὅπου ἔτυχε τελευτᾶν, ἀλλὰ κεχρῆσθαι ταῖς εἰρημέναις ἰδέαις.* quae parum apte huc adlegantur. rectius laudes Homeri in conparationem uocantur 24, 7. *Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν.* quae uero sequuntur nil commune habent nostro loco. melius huc cadunt *διὸ . . . καὶ ταύτῃ θεσπέσιος ἂν φανείη*

---

1) Also die nach dem Gesetze der Wahrscheinlichkeit und Nothwendigkeit vollzogene dichterische Umbildung *μίμησις* · des gegebenen, von Sage o. Geschichte überlieferten Stoffes macht den dramatischen Dichter aus; Vahlen B. p. 29.

2) Cum plerique Horatium carmina dramatica respicere putent, hanc questionem paucis hic tangemus. Horatius carmen in genere tractat, tragoedia uero et comoedia aeque ac carmine heroico prout res fert, tantum meri exempli modo ad illustranda sua praecepta generalia utitur. Non nunquam haec faciens unialteriue carminum generi proprias adsignat leges. cf. 129—219. 219.—250.

3) Haec maxime ualent de iis qui fabulam suam depromunt historiae. itaque poetas togatas scribentes necesse erat multa fingere in quibus ab historiae ueritate recederent.

Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους, τῷ μηδὲ τοῦ πολέμου καίπερ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος, ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον. c. 8. *μῦθος δ' ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ. πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῷ ἑνὶ συμβαίνει, ἐξ ὧν ἐνίων οὐδέν ἐστιν ἕν. οὕτως δὲ καὶ πράξεις ἑνὸς πολλαί εἰσιν, ἐξ ὧν μία οὐδεμία γίνεται πρᾶξις . . . ὁ δ' Ὅμηρος ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν. Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη.* c. 24, 8 . . . *δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ.*

Steubero ad u. 152 referenti (π. 18, 3) *πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ λύουσι κακῶς* respondemus, hoc ne exempli quidem loco huc uocari posse. exemplum esset potius ad illustrandum illud „ponere totum nesciet.“

153—178. Horatius de facundia agens iam *πάθη, ἕξεις* et *ἤθη* respexerat. cum uero non solum singularibus personarum conditionibus respondere debeant sed ratio etiam habenda sit illarum proprietatum uel morum qui sive ab historia siue a fabulis antiquis singulis personis adsignantur, deuerterat poeta a proposito illosque duos carminum fontes persecutus est. nunc uero ad superiora reuertit. „interit multum diuusne loquatur an heros, maturusne senex an adhuc florente iuuenta feruidus e. q. s.

Itaque si bonum ac iucundum carmen pangere uelis, „aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores mobilibusque decor maturis[1]) dandus et annis„ qui nunc ab Horatio tractantur quatuor aetatum: pueri iuuenis uiri senis mores, iidem fere ac similes inueniuntur apud Aristotelem *ῥητ.* 2, 13, etsi hic quasdam quae infra dicemus, differunt. peruetus est iam eorum sententia qui Horatium haec e Stagirita depromsisse putant; audiamus Bentleium: „principio illud pro comperto habendum est, in his aetatum characteribus ut Aristotelem naturae ita nostrum Aristotelis uestigiis institisse.“ nuper uero Bernhardy alia de his docet: „mittimus enim graphicam aetatum notationem u. 156 sq. non e domo Peripateticorum desumptam sed diu scholis rhetorum iactatam et leuiora quae tum Romae non operose quaesita doctis hominibus in promptu essent“ — Amborum locorum conparatio iam saepius facta est, sed necesse est tractemus hic eam iterum. Aristotelis sunt haec: *Ἡλικίαι δ' εἰσὶ νεότης καὶ ἀκμὴ καὶ γῆρας.*

Itaque agit de tribus solum aetatibus: *οἱ νέοι,* quibus obponuntur *οἱ πρεσβύτεροι καὶ παρηκμακότες* inter utrosque οἱ ἀκμάζοντες. Horatii haec est diuisio: puer, iuvenis imberbus, aetas animusque uirilis, senex. qui uero priores nominantur: puer et iuuenis imberbns respondent *τοῖς νέοις* apud Aristotelem, quare hanc diuersitatem tanti non fecerim sicut quidam interpretes.

Porro tenendum est, Horatium obiter tantum hos aetatum mores adtingere paulum in ipsis commorantem; philosophus contra fusius hunc locum tractat causam cuiusque moris indagans. quare nullo modo mirari debemus si poeta plura aetatibus propria et peculiaria apud Aristotelem nobis obcurrentia pratermiserit. Potius uidendum num Horatiana sua ipsis respondentia apud philosophum inueniant.

a. p u e r
. . . gestit paribus conludere[1]) et iram
conligit ac ponit temere[3]) et mutatur in horas[2])
b. i u u e n i s
gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
cereus in uitium flecti[4]), monitoribus asper[5])
utilium tardus prouisor, prodigus aeris[6])
sublimis[7]) cupidusque [1]) et amata relinquere pernix[2])

---

3) Hoc enim cum Bentleio legendumst. non enim agitur de moribus indoli cuidam natiuae propriis sed iis qui aetati cuique respondent. Plausorem uero a Bentleio explosum lubenter reuocauerim. Num fautor fabulae finem (cum cantor „uos plaudite“ dicit) expectare debet? equidem eum omnibus iis locis scenisque quae ipsi adrident eum adclamaturum plausurumque crediderim. nam fabula potest cadere quae singula quaedam habeat uenusta. haec placent hisque plaudunt. si vero fabula peracta plaudunt spectatores, accepta est idque sibi uult illud cantoris monitum.

ad 1) *καὶ φιλόφιλοι καὶ φιλοίκειοι καὶ φιλέταιροι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν διὰ τὸ χαίρειν τῷ συζῆν.*

ad 2) *εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι ταχέως δὲ παύονται. ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις καὶ οὐ μεγάλαι, ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι καὶ πεῖναι.*

ad 3) *καὶ θυμικοὶ καὶ ὀξύθυμοι καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ, καὶ ἥττους εἰσὶ τοῦ θυμοῦ.*

ad 4) *εἰσὶν ἐπιθυμητικοὶ καὶ οἷοι ποιεῖν ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσιν καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν μάλιστα ἀκολουθητικοί εἰσι ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια καὶ ἀκρατεῖς ταύτης.*

ad 5) *διὸ γὰρ φιλοτιμίαν οὐκ ἀνέχονται ὀλιγωρούμενοι, ἀλλ' ἀγανακτοῦσιν ἂν οἴωνται ἀδικεῖσθαι.*

ad 6) *φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι . . . καὶ ἄμφω ταῦτα μᾶλλον ἢ φιλοχρήματοι. φιλοχρήματοι δὲ ἥκιστα διὰ τὸ μήπω ἐνδείας πεπειρᾶσθαι. — καὶ μᾶλλον αἱροῦνται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων.*

ad 7) *καὶ φιλότιμοι κτλ. — καὶ μεγαλόψυχοι. οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ βίου πω τεταπείνωνται, ἀλλὰ τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσιν* (cf. 6), *καὶ τὸ ἀξιοῦν αὑτὸν μεγάλων μεγαλοψυχία.*

Multa senem circumueniunt incommoda, uel quod
quaerit[1]) et inuentis miser abstinet ac timet uti[2])
uel quod res omnes timide gelideque ministrat[3])
dilator spe longus*) iners auidusque futuri,
difficilis, querulus[4]) laudator temporis acti[5])
se puero, castigator censorque minorum.

ad 1) *καὶ πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλόν. . . . τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιθυμοῦσιν. οὔτ' ἐπιθυμητικοὶ οὔτε πρακτικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος. . . καὶ δουλεύουσι τῷ κέρδει.*

ad 2) *καὶ ἀνελεύθεροι. ἓν γάρ τι τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία, ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι καὶ ῥᾴδιον τὸ ἀποβαλεῖν.*

ad 3) *καὶ δειλοί. καὶ πάντα προφοβητικοί. ἐναντίως γὰρ διάκεινται τοῖς νέοις. κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν, οἱ δὲ θερμοί, ὥστε προωδοποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ. καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τις ἐστίν.*

ad 4) *ὀ δ υ ρ τ ι κ ο ί εἰσι, καὶ ο ὐ κ ε ὐ τ ρ ά π ε λ ο ι οὐδὲ φιλογέλοιοι. ἐναντίον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι.*

ad 5) *καὶ ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον ἢ τῇ ἐλπίδι. τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν λοιπὸν ὀλίγον, τὸ δὲ παρεληλυθὸς πολύ, ἔστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος, ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων. ὅ περ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς. διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες. ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται.*

Ex his patet Horatium in pueri ac iuuenis moribus enarrandis mirum in modum cum Stagirita consentire, in senilibus quoque partibus ab eo non discedere. Qui uero Horatii de uirili aetate cum illis

*) Optime Michaelis: Id quidem effici non posse credo, „spe longum“ alium esse ac qui longinquas spes concipere soleat (ita Bentleius unus recte) neque „auidus futuri“ idem est qui ab Aristotele *φιλοζωος* dicitur. De quibus rebus quasi Bentleius nil disputasset, Orellius singulari iudicii imbecillitate inutilem uocat eius coniecturam, cum ne uno quidem exemplo conprobauerit „spe longum“ ita explicari posse quo modo Forcellinium secutus ipse interpretatus est. at hic mos est et istius uiri et multorum aliorum qui auctoritate sua interposita summi illius critici acumen sagacitatem doctrinam exemplorum copiam refutasse sibi uidentur. — Itaque qui Horatium his expressisse illud *δυσέλπιδες* et *προφοβητικοί* statuit, omnibus huic pedibus in Bentlei sententiam eundum est eiusque emendatio adcipienda. Sed quominus ita statuamus obest uicinia huius „spe longus.“ Repetas quaeso uersum: „d i l a t o r, spe longus, i n e r s, auidusque futuri.“ Differt senex tempus *καίριον* adesse non putans, et differt in tempus futurum, nam est „spe longus“ i. e. longinquas, seras concipit spes; itaque nil in praesens curat „iners,“ sed futuro tempori omnia mandans „auidus est futuri.“ Nam hoc unus recte Bentlerus explicauit: „qui auidus futuri est, et odit praesentia et sperat in posterum meliora.“

Stagiritae de eadem dictis conponet, mirabitur, pauca esse communia utrique uel nulla. Stagitita philosophi more normam uel regulam cuiuis rei adferens cogitandoque plura abstrahens hac quoque in re ea est usus ratione; dein praceptum in a. p. 15 propositum (*ποιοῦντες ὅμοια καλλίους γράφουσι*) seruans aetatem uirilem summum uitae humanae fastigium declarat. Senectus iuuentuti est contraria, aetas uirilis uero inter ipsas media posita longe super eas eminet, particeps uirtutum et iuuentutis et senectutis, carens uero utriusque uitiis. non ita Horatius. exemplar uitae respiciens morumque uirum nobis depingit sed in hac quoque re cum Aristotele facit.

„Quaerit opes et amicitias.“ alterum enim (*φιλοχρήματοι*) a iuuenibus neglegitur, senes nimis cupide moliuntur. alterum (*φιλόφιλοι*) iuuenes ornat, piget difficilem senem. uiro omnia haec sunt propria. eodem modo uiris et iuuenibus eadem propria est uirtus: „inseruit honori“ (*φιλότιμοι*). et cum conmisisse caueant uiri quod mox mutare laborent hac in parte communem cum senibus habent uirtutem:
ζῶσι κατὰ λογισμὸν . . . ὁ μὲν γὰρ λογισμὸς τοῦ συμφέροντος ἦθός ἐστιν.

Magna praeter haec locorum Aristoteleorum uolgo adfertur farrago qui Horatianis respondere quadam ex parte uel similes esse censentur. similitudo haec uero uel est perexigua uel nulla locique hi nullo modo ita conpositi quos Horatio ante oculos fuisse dixeris. unus modo restat locus de choro in comparationem uocandus.

Προβλημ. 19, 49. *ἔστιν ὁ χορὸς κηδευτὴς ἄπρακτος εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν.* In hoc problemate de eo quod choro conuenit genere musices agitur. respondet autem philosophus, choro qui nil ipse agit, non eos conuenire modos quae scenae in qua heroum facta dictaque simulantur, sed modulos tranquillos flebiles, cum quibus cf. praeter u. 193—195 mox laudatos:

„Tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et adesse choris erat utilis.“

π ο ι η τ. 18. *καὶ τὸν χόρον ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι κτλ.*

„Actoris partes chorus officiumque uirile
defendat, neu quid medios intercinat actus
quod non proposito conducat et haereat apte“ (ἐμβόλιμα)

Hic nobis est subsistendum. respicientibus nobis eos quos conposuimus Horatii et Aristotelis locos iam omni dubio maius esse uidetur legisse Horatium Stagiritae libros eiusdemque doctrina fuisse inbutum. neque tamen imitatum esse illum dicemus cum uterque alia ageret et curaret, sed usum esse Horatium iis in rebus quas easdem tractaret, iis quae ex Aristotele didicisset, memoria fretum neque librum graecum ante faciem euolutum tenentem.

W. Foerster.

JAHRES-BERICHT

über den

Zustand des k. k. deutschen Obergymnasiums zu Brünn im Schuljahre 1868—69.

A. Das Aeussere der Schule betreffend.

I. Lehrpersonale.

In den obligaten Lehrfächern trat im Verlaufe der Ferien und zu Beginn des Schuljahres 1868—69 folgende Veränderung ein.

Professor Karl Werner wurde mit allerh, Entschliessung Sr. k. k. Apost. Majestät 7. Mai 1868 Erl. des hohen k. k. Unterrichtsministeriums 10. Mai 1868 Z. 3759, Statth.-Erl. 19. Mai 1868 Z. 9829 zum Director des k. k. Gymnasiums in Znaim ernannt und trat bereits 1. August 1868 dieses Amt an. Die hiedurch erledigte Lehrstelle für Geschichte wurde dem Professor extra Status am k. k. Gymnasium zu Troppau Dr. Karl Wallnöfer verliehen. (M.-Erl. 16. Spt. 1868 Z. 7536, Statth.-Erl. 21. Spt. 1868. Z. 18964) dem Prof. Franz Holub wurde an dem neu errichteten k. k. slavischen Gymnasium in Brünn eine philol. Lehrstelle verliehen (M.-Erl. 30. Spt. 1868, Z. 7822, Statth.-Erl, 3. Oct. 1868. Z. 19802), an dessen Stelle wurde Franz Saliger als Supplent ernannt (Statth.-Erl. 8. Oct. 1868, Z. 20057). Supplent Friedrich Slameczka wurde mit (Erl. h. Unt.-Min. 6. Juni 1868, Z. 4480, Statth.-Erl. 20. Juni 1868, Z. 11590) zum wirkl. Gymnasiallehrer am kathol. Gymnasium zu Teschen ernannt. Dessen Stelle wurde nicht wieder besetzt, da im J. 1868—69 eine Parallclasse weniger war; aus demselben Grunde wurde noch eine zweite Supplentenstelle für class. Philologie überflüssig und Supplent Ernst Sojek des Dienstes enthoben. (Statth,-Erl. 7. Oct. 1868, Z. 20053.)

In den nicht obligaten Fächern trat die Aenderung ein, dass an die Stelle des Schreibunterrichts mit Genehmigung des hohen k. k. Unt.-Min. 23 Mai 1868, Z, 3144, Stath,-Erl. 28. Mai 1868. Z. 10607, der Zeichnenunterricht trat. Es wurde demnach der bisherige Nebenlehrer für Kalligraphie Herr Johann Pfeiffer des Dienstes enthoben.

Es bestand demnach der Lehrkörper zu Beginne 1868—69 aus dem Director, zwei Religions-Professoren, acht zum Status und einem nicht zum Status gehörigen Professoren und sieben Supplenten, zusammen einundzwanzig Personen und fünf Nebenlehrern (zwei Zeichnen, Franz., Gesang, isr. Rel.) insgesammt aus vierundzwanzig Personen.

Gleich zu Beginn des Semesters fühlte sich Supplent Karl Jaksch in seiner Gesundheit so sehr angegriffen, dass er seinen Dienst nicht mehr versehen konnte; er reiste am 26. Oct. zu seinen Angehörigen nach Wien. Die Gymnasial-Direktion acquirirte an dessen Stelle den Lehramtscandidaten Konrad Twrdy zur Ablegung des Probejahres und ermöglichte hiedurch die Beurlaubung des Supplenten Karl Jaksch für das erste Semesters (Statth.-Erl, 8. Nov. 1868, Z. 22255). Doch dieser genoss den Urlaub nicht lange, am 25. Dec. 1868 erlag er seinen Leiden. Der Lehrstand verlor an ihm eine tüchtige, vielversprechende Kraft!

Mit hohen Min.-Erl. 9. Jänner 1869, 41, Statth.-Erl. 16 Jänner 1869, Z, 845 wurde die nach Prof. Holub erledigte phil. Lehrstelle dem Supplenten des k. k. acad. Gymnasiums in Wien Wendelin